

*gnerus in Specimine Hierolexici in vetus testamentum Hebræo Chaldeop. i. &c. בְּרִיאָה* Rabbinis pingvem, item sanum denotat, qvod pingves plerumqve se bene habeant, & illi optime valere credantur. Sic בְּרִיאָה iisdem dicitur sanitas, qvandoqve pingvedo.

Præterea Deus pro sacrificiis renuens macilenta pingvia poscit bruta; Imò qvod majus est, etiam caudas animantium pingves Alja dictas, nec ita Zanab, minùs pingves recipi jussit Deus pro sacrificiis, veluti ad loca qvædam veteris fœderis commentatur lingvarum orientalium peritiā insignis *Jobus Ludolphus in histor. Æthiop. l. I. c. 10. §. 14.* Non raro è contrariò maledictionis, execrationis, perniciei, incantationis & interitus notam præbet macies. Sic superstitionis ritus etiamnum hodie inter plebejos obtinet. si sermo vel laus occurrit de brutis, imprimis eorum pullis pingvibus & placitis, item de lætè virente segete, vel vegeto vegetabilium statu, addunt communiter: ut præfiscini, vel citra invidiam aut incantationem id pronuntiem vel laudem; Germanica verba nota sunt: Gott behüte es/ daß ichs nicht beschreie oder berusse/ daß ichs zur guten Stunde rede; Traditio enim superstitionis est, qvod pingvia ejusmodi, & tenella imprimis facile laude prolatâ sine ejusmodi voto, tabescere possint, de quo in disertatione nostra alioqve in loco proximè plura dabimus. Inter Germanos vulgo admodum familiaris etiam est indignationis vel contemptus seqvens nota, qvando rem vilem, ingratam & rejiculam exprimere intendit, ut hanc reddat vel appelle das dûrre Ding. Maciem quoqve Deus non semel in sacris afflictionis vel pœnæ loco minatur, qvæ omnia pingvedinis æstimium amplificant. Reputarunt itidem olim pingvem corporis habitum inter pulchritudinis notas; veluti etiam macilentas virginis à Romanis spretas fuisse ostendit *Guevarra in horolog. princip. cap. 12. §. 38.* Propter simile æstimium obesarum virginum (non ubivis tamen tanti existimatarum) huc trahemus verba *Petr. Forest. lib. 13. obs. 11. p. 62.* Puellæ, ait, apud venetos cum matrimonio copulandæ sunt, laute admodum tractantur, ut habiliores fiant; utuntur triticò nutritiō cum lacte:

lon-